

dioecesi, licet ipsius Clerus Ritus Graecum retineat, uti videri potest in nostra Constitutione 81., quae incipit: *Romana Ecclesia*, §. 1. *Bullarii nostri tom. I.* *), quamvis generatim loquendo Presbyteri Italo-Graeci servent in Italia Insulisque adjacentibus suam disciplinam ac Ritus conficiendi in fermentato Eucharistiam, moneanturque impensius Sacerdotes Latini vel Graeci Ritus, ne Eucharistiam consecrare ac distribuere juxta proprium cujusque Ritus praetermittant, uti declaratur in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi Pastoralis*, 57. §. 1. n. 2. ac §. 6. n. 10. et seq. *Bullarii nostri tom. I.*

§. 23. Quibusdam Ecclesiae saeculis is usus obtinuit, ut post Baptismi Sacramentum Eucharistia pueris traderetur haud quidem ex ea persuasione, quod esset ad aeternam puerorum salutem necessaria sed ex mero ritu et consuetudine tunc temporis vigente, quemadmodum sapienter animadvertunt Tridentini Concilii Patres *sess. 21. cap. 4.* Inter errores Armenorum a Summo Pontifice Benedicto XII. damnatos quinquagesimus octavus apud *Raynaldum ad annum Christi 1314 §. 66.* recensetur ille, quo asserebant: ad aeternam puerorum salutem et Baptismi iis collati valitudinem praeter Confirmationis Sacramentum Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In Occidentali Ecclesia quadringentis et amplius abhinc annis Eucharistia pueris post Baptismum non administratur. Verum negari nequit, in libris Ritualibus Orientalium commemorari Ritus Communionis post Baptismum pueris administrandae. *Assemanus junior lib. 2. Codicis Liturgici p. 149* refert ordinem ministrandi Baptismi apud Melchitas; pag. quoque 309 ordinem exscribit Baptismi Syrorum editum a Philoxene Mabugensi Episcopo

*) *Tom. XVI. p. 153.* Edit. Luxenbg.

Monophysita; p. 306 alium affert desumptum a veteri Rituali Severi Patriarchae Antiocheni Monophysitarum antesignani: et *lib. 3. ejusdem Codicis p. 95 et p. 130* binos alios ordines commemorat servatos inter Armenos et Coptos in ministrando Baptismo; quibus omnibus praecipitur, ut pueris post Baptismum Eucharistia ministraretur. Hujusmodi consuetudinem apud nonnullos Graecos ad sua usque tempora obtinuisse ait *s. Thomas 3. part. quaest. 80. art. ad tertium. Arcudius vero lib. 3. de Sacramento Eucharistiae cap. 11.* hanc esse Graecorum disciplinam scribit; sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt propter incommoda, quae in praebenda pueris post Baptismum Eucharistia identidem intercedebant. In actis Synodi sub Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum habitae in Monte Libano die 18. Sept. anno 1596, cui praefuit Pater Hieronymus Dandinus S. J., Nuncius Summi Pontificis Clementis VIII., haec verba leguntur *can. 7.:* *Quoniam parvulis sine indecentia maxima venerabilisque Sacramenti injuria vix potest Sacra Christi Communio dari, caveant in posterum Sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eam admittant.* Consentiant Patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720 §. 3. *de Eucharistia.* Idemque firmatum legitur in Actis Libanensis Concilii, quod habitum fuit anno 1736 *cap. 12. de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento n. 13.*, cujus haec sunt verba: *In antiquis quidem nostris Ritualibus sicut et in Ordine vetere Romano et in Euchologiis Graecis Baptismatis Ministro diserte praecipitur, ut infantes mox a Baptismate Chrismate delibutos pascat Eucharistiae Sacramento; nihilominus tum ob debitam huic Augustissimo Sacramento reverentiam, tum quia idem non est infantibus ac pueris ad salutem neces-*

sarium, praecipimus, ut infantibus quidem, dum baptizantur, Eucharistia nullo pacto, neque sub specie Sanguinis, porrigatur. Quod ipsum statutum fuit in Constitutione pro Italo-Graecis incipiente: *Etsi Pastoralis: 57. §. 2. n. 7.* *Bullarii nostri tom. 1.*

§. 24. De usu administrandae Eucharistiae sub utraque specie etiam Laicis quoad Orientalem et Graecam disciplinam fuse disserunt *Arcudius in Concordia Occidentali et Orientali in Sacramentorum administratione lib. 3. cap. 4. et Leo Allatius in prima adnotatione de Ecclesiae Occidentalis atque Orientalis consensione p. 1614 et seq.* In Graecorum Collegio, quod Romae, uti diximus, erectum fuit a Gregorio XIII. ea indicta lege, ut Graecus in eo Ritus servetur, quemadmodum praefatus *Leo Allatius testatur in suo Tractatu de aetate et Interstitiis p. 21,* juxta ipsius Collegii Constitutiones a Summo Pontifice Urbano VIII. confirmatas debent Alumni quolibet octiduo animi sordes Poenitentiae Sacramento eluere et Sacram Eucharistiam sumere quintadecima quaque die necnon festis diebus solemnibus et singulis Adventus et Quadragesimae Dominicis, Latino Ritu servato; in festis vero solemnioribus, videlicet diebus Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini jubentur Eucharistiam sub utraque specie Ritu Graeco suscipere, hoc est in fermentato Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam: idemque Ritus servatur cum reliquis Graecis omnibus, qui praedictis diebus ad solemne Missae Sacrificium conveniunt aut qui aliis per annum diebus in Ecclesia Graeci Collegii sibi Eucharistiam Ritu Graeco administrari deposcunt. Verum Italo-Graecis in memorata Constitutione: *Etsi Pastoralis: 57. §. 6. num. 15.*

Eucharistia sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat locis, in quibus Ritus hujusmodi Communionis retentus viget; sed in aliis locis, ubi idem Ritus obsolevit, Eucharistia sub utraque specie prohibetur. Ab hac disciplina seu Ritu sumendae Eucharistiae sub utraque specie, licet in universa Orientali Ecclesia recepto, nonnulli Graeci et Orientales paulatim recesserunt. Lucas Holstenius, vir sane clari nominis, in Epistola ad Bartoldum Nimsium, quae typis impressa affertur in Opusculis Graecis ac Latinis Leonis Allatii p. 436, refert, se praebuisse Eucharistiam in Vaticana Basilica Presbytero Abyssino, qui cum aliis communicaturus ad sacram mensam accesserat; cumque eum sub unica specie panis Eucharistiae participem fecisset, ab ipso deinde atque etiam ab aliis Aethiopicae Ecclesiae hominibus sollicitatum fuisse, an juxta Patriae suae Ritus Eucharistiam sub unica specie panis sumere consuevissent, tam in solemni Lyurgia quam in quotidiana Eucharistiae participatione, necnon cum ad eos extremo morbo laborantes eadem in Viaticum afferebatur, testaturque fuisse sibi ab ipsis responsum, Sacram Synaxim sub unica specie panis sibi semper administrari hancque esse veterem disciplinam in Aethiopica Ecclesia obtinentem. Inter quaesita Summo Pontifici Gregorio XIII. praeposita a Patriarcha Maronitarum sequens recensetur: *Nos Missam celebramus in solo azymo, Laici vere nostri sub utraque specie communicant; cui Pontifex his verbis respondit: Si volunt in azymo consecrare, non videntur prohibendi, Laici vero a Communionem sub utraque specie pedetentim arcendi sunt; totus enim Christus sub una specie continetur et in usu Calicis magnum est periculum effusionis: uti legere est in laudato opere Thoma a Jesu de Con-*

versione omnium gentium p. 486 et seq. Patres etiam Concilii Libanensis habiti anno 1736 part. 2. cap. 12. n. 21. hujusmodi Consilio inhaerentes ita statuerunt: *Deinde ejusdem S. R. E. institutis inhaerentes praecipimus et stricte mandamus, ne cui Laico vel Clerico in minoribus Ordinibus constituto Communico sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum, solis Diaconis permittentes, ut in solempni Missa Eucharistiam sub utraque specie a Sacerdote accipiant, hoc est sub specie panis primum, deinde sub specie vini, semoto tamen, quem superius commemoravimus, cochlearis usu: At vero Diaconis, ut hostiam Sanguine inunctam a Sacerdotibus in solempni praesertim Missa accipere possint et valeant concedimus et permitimus, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum esse statuimus.*

§. 25. Postremo ab Eucharistia Sacramento minime recedentes hic verba faciemus de alio Orientali et Graeco Ritu, quo nimirum Sacerdos post consecrationem et ante consumptionem paululum aquae tepidae in Calicem fundit. *Matthaeus Blastares in Synagmate Alphabetico cap. 8. tom. 2. Synodicon Graecorum p. 153* hujusmodi Ritum commemorat ejusque significationem affert. Eutymius Tyri ac Sidonis Archiepisc. anno 1716 Summo Pontifici Clementi XI. nonnulla quae sita proposuit, quorum alterum erat: utrum Melchitis Syriae ac Palaestinae interdicere deberet, aquam tepidam Divino Sanguini post Consecrationem affundere; cui redditum fuit responsum adjecta accurata et luculenta instructione ab eodem Pontifice approbata ejusque jussu transmissa ad Superiores Missionum Terrae Sanctae, Damasci, Tyri ac Sidonis, injunctumque praedicto Archiepiscopo, ne id fieri interdiceret, cum de veteri Ritu

ageretur Sedi Apostolicae perspecto et Graecis Sacerdotibus etiam Romae permissis; per quem innuitur Fidei ardor, qui maximus erga tantum Mysterium debet conflagrare. Simile responsum die 31. Martii anno 1729 jussu Benedicti Papae XIII. datum fuit Cyrillo Graecorum Patriarchae Antiocheno. Idem Ritus Italo-Graecis permittitur in citata Constitutione 57. *Etsi Pastoralis §. 6. n. 2. Bullarii nostri tom. I.* Cumque subinde in Congregationibus, quae pro correctione librorum ecclesiasticorum Ecclesiae Orientalis habitae fuerunt ad accuratorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque disputatum fuisset: utrum interdicens esset Ritus infundendi in Calicem aquam tepidam post Consecrationem, cum potissimum Humbertus Cardinalis Sylvae Candidae superioribus temporibus plurimum adversus eundem Ritus declamasset, responsum fuit die 1. Maii anno 1746: *nihil esse innovandum, quod rescriptum a Nobis deinde confirmatum fuit; rationibus enim a praedicto Cardinali allatis nil ponderis inesse compertum fuit.* Attamen Patres Concilii coacti in urbe Zamosciae anno 1720 graves ob causas inhibuerunt Ruthenis Sacerdotibus, ne aquam tepidam post Consecrationem in Calicem funderent, uti legi potest §. 4. *de celebratione Missarum: Inhibet gravem ob causam et abrogat toleratam in Orientali Ecclesia consuetudinem ad consecratos Calicis species aquam tepidam affundendi post Consecrationem ante Communionem*).*

§. 26. His sane et aliis hujusmodi exemplis, quae facile cumulari possent, inniti valent, qui erga transitum a Ritu Orientali et Graeco ad Occidentalem et Latinum sunt propensiores vel certe quidem putant se jure optimo agere,

*) Vd. *Missae* (Ritus non mutand.).

dum Schismaticum Orientalem ad Ecclesiae unitatem convertentes satagunt eundem abducere ab aliquo Ritu, quem servare consueverat, priusquam Nobis consentiret, quique a reliquis omnibus Orientalibus et Graecis ex veteri disciplina firmiter retinetur et observatur. Verum neque superius allata exempla nec caetera, quae in medium proferri possent, quidquam illorum opinioni suffragantur, tum quia in transitu a Ritu Orientali et Graeco ad Occidentalem et Latinum tollitur omnino quidquid ab ipso Graeco Ritu praescribitur et nostro Ritui non conformatur, quod non contingit in iis exemplis, quae paulo superius allata sunt, quibus nempe, si aliqua peculiaris solemnitas Graeci Ritus tollitur, Ritus tamen ipse ac reliqua omnia eodem Ritu praescripta intacta servantur, tum quia partem etiam aliquam demere ex aliquo Ritu, salvis reliquis ejusdem Ritus partibus, non est privati viri sed auctoritas publica intercedat necesse est, videlicet Supremi Capitis universalis Ecclesiae, qualis plane est Romanus Pontifex. Sedes namque apost. ea est, quae praecipuo quodam jure, quoties ipsi consentaneum visum fuit, ab Orientali Ecclesia Ritus aliquem desumpsit et in Occidentalem traduxit aut permisit, Ritus aliquem Graecum in aliqua Latina Ecclesia usurpari. Eademque apost. Sedes, quoties deprehendit periculosum vel indecorum aliquem Ritus in Orientalem Ecclesiam irrepsisse, illum damnavit, improbavit ejusque usum ipsi prohibuit. Ipsa denique apost. Sedes, postquam vidit Orientalem vel Graecam aliquam gentem in aliquo Latino Ritu usurpando ac defendendo vehementer obfirmatam ac potissimum, quando Ritus ipse ab antiquo tempore invectus fuit, ab omnibus communiter receptus atque expressè vel tacite alicui Episcopo probatus, Ritus ipsum tolerando et sic approbando firmavit.

§. 27. In Latina et Graeca Lyturgia recitatur Symbolum ejusque recitatio in Missae Sacrificio in Ecclesia Orientali primum instituta deinde in Occidentalem traducta est, uti colligitur ex tertio Tolentano Concilio habito anno 598 con. 2. tom. 5. Collectionis Labbeanae pag. 1009, cujus haec sunt verba: *Ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut, priusquam dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur.* Quare cum Patres Tolentani Concilii disciplinam stantes recitandi Symbolum in Sacrificio Missae se ad Ritus Orientalium Ecclesiarum retulerint, id satis est ad agnoscendum, hujusmodi disciplinam in Oriente primo institutam inde in Occidentem promanasse, sicut advertunt *Cardinalis Bona rerum Lyturgic. lib. 2. cap. 8. num. 2. et Georgius de lyturgia Romani Pontificis tom. 2. cap. 20. num. 2. pag. 176.* Sed rem propositam persequendo *Amalarius in libro de divin. Officiis cap. 14.*, postquam innixus auctoritate s. Pauli in epistola ad Severum retulit, sola feria sexta majoris Hebdomadae in Ecclesia Hierosolymitana exponi consuevisse populo adorandam Crucem ipsam, in qua Christus perpendit, huic graecae consuetudini tribuit Ritus adorationis s. Crucis, quae in Officio praedictae feriae sextae in unaquaque Latina Ecclesia ad hanc usque diem peragitur. *Trisagium: Sanctus, Deus, Sanctus, Fortis, Sanctus, Immortalis, miserere nobis,* pia est, et frequentissima Oratio in Graecorum Lyturgia, uti recte advertit *Georgius in notis ad Euchologium in Missa s. Joannis Chrysostomi pag. 109.* Ejus Orationis origo repetitur ex miraculo, quod medio saeculo quinto contigit in regia urbe

Constānopolitana; cum enim Theodosius Imperator, Patriarcha Proclus et universus populus in aperto ad Deum preces effunderent, ut ab imminente liberarentur excidio, quod ipsis ab ingentibus terrae motibus impendebat, puer repente in coelum rapi visus est, qui deinde in terram demissus retulit se audivisse Angelos praedictum Trisagium canentes; quare, cum jussu Procli Patriarchae universus populus illud devote cecinisset, terra ab horrendis, quibus concutiebatur, motibus conquievit, uti narrat *Nicephorus lib. 14. cap. 46.* recteque prosequitur Summus Pontifex Felix III. in epistola tertia ad Petrum Fullonem, quae habetur tom. 4. Labbeanae Collectionis. Idem vero Trisagium in Ecclesia Occidentali feria sexta majoris hebdomadis Graece et Latine canitur, quemadmodum apposite animadvertit Cardinalis *Bona rerum lyurgic. lib. 2. cap. 10. num. 5.* Aquae benedictio in pervigilia Epiphaniae in Ritu est Graecae Ecclesiae proprio, uti fuse ostendit *Goarius* in Euchologio sive Rituali Graecorum, et nunc etiam praedicta die Romae in Graecorum Ecclesia peragitur haec functio, de qua in allata superius Constitutione nostra §. 5. num. 13. mentio habetur, simulque permittitur, ut Fideles eadem aqua benedicta aspergantur. De transitu Ritus hujusmodi ab Orientali ad aliquas Occidentales Ecclesias videri possunt, quae congegit eruditus *Martene tom. 4. de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis cap. 4. num. 2.* et quae afferuntur in dissertatione Patris Sebastiani Pauli Congregationis Matris Dei, edita Neapoli anno 1719, cui titulus est: *De Ritu Ecclesiae Neritanæ exorcizandi aquam in Epiphania*, ubi propterea part. 3. pag. 177 et seq. opportune monet Episcopos, in quorum dioeceses longo abhinc tempore nonnulli Ritus

ab Ecclesia Graeca manentes irrepserunt, ut illos de medio tollere tantopere non contendant, ne turbae excitentur et ne videantur improbare rationem agendi Sedis apostol., quae Ritus illos irrepsisse cum optime noverit, eosdem tamen servari et frequentari permisit; affertque etiam pag. 203. epistolam Cardinalis Sanctorii, s. Severinae nuncupati, scriptam anno 1580 ad Fornarium Episcopum Neritinum, de hoc ipso argumento et de aquae benedictione in Epiphania, quae in illa dioecesi peragitur. *Graecus pariter est Ritus spoliandi ac lavandi altare feria quinta in Coena Domini.* Hujusce Ritus monumentum aliquod reperire est saeculo quinto; de eo namque meminit in suo typico sive ordine recitandi Officium ecclesiasticum per totum annum s. Sabas, qui teste *Leone Allatio de libris Ecclesiae Graecae diss. 1. pag. 9.* abiit anno 451. Si certo affirmari posset Ordinem Romanum ab Hittorpio editum s. Gelassii Pontificis jussu compositum fuisse, Ritus lavandi altaria feria 5. in Coena Domini praedictae Graecorum consuetudini fuisset quasi coevus in Latina Ecclesia, cum s. Gelasius Pontifex obierit anno 496. At, cum incertum sit, utrum Romanus Ordo ab Hittorpio vulgatus tantae antiquitatis merito praestet, et cum eo seposito s. Isidorus Hispalensis Episcopus inter Latinos primus extiterit, qui de hoc Ritu verba fecerit, idemque s. Isidorus anno 636 sit vita functus, satis id est, ut ab Oriente in Occidentem fluxisse asseratur Ritus praedictus, qui in hunc usque diem in nonnullis Latinis Ecclesiis retinetur probantibus Romanis Pontificibus, ac potissimum in Vaticana Basilica magna cum solemnitate feria quinta in Coena Domini quotannis peragitur. Suaresius Episcopus Vasionensis et Vicarius ejusdem Basilicae et Joannes Chrysostomus Battellus Archiepiscopus Amasenus, qui

in minoribus inter Beneficiatos ejusdem Basilicae recensebantur, duas elucubratissimas dissertationes ediderunt, quibus praedictum Ritus illustrarunt. Quae cum ita sint, exemplis et factis aperte evincitur id, quod paulo ante diximus, Sedem videlicet apostolicam non omisisse, quoties id rationi consentaneum putavit, aut adsciscere ad universam Latinam Ecclesiam Ritus, qui ad Graecam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiare quidam Ritus, qui ab Ecclesia Graeca manarunt, in nonnullis Latinis Ecclesiis observarentur.

§. 28. Jam paulo superius de Trisagio sermonem fecimus deque admirabili modo, quo cantus ejusdem in sacras Lyurgias Ecclesiae Graecae inductus fuit: cum tam Petrus Fullo cognomento Gnaphaeus fautor haeresis Apollinaristarum, qui Theopaschitae appellantur, ausus fuisset Trisagio haec verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis*, sicuti fuse commemorat Theodorus Lector lib. 1. Collectanear., et cum nonnullae Orientis Ecclesiae ac potissimum Syrorum et Armenorum, opera cujusdam Jacobi Syri teste Nicephoro lib. 18. cap. 52. additamentum hujusmodi recepissent, haud praetermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili cura et sollicitudine inolescenti errori se opponere factamque Trisagio additionem interdicere rejicientes interpretationem, qua Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam non vero ad tres divinas personas omnem erroris suspicionem adimi jactabatur, tum quia periculum semper supererat adhaerendi dogmati haeretico, tum quia humanae mentis praesumptio ad solum Christum referre minime poterat Hymnum ab Angelis in honorem SSmae Trinitatis decantatum, sicuti *Lupus* recte expendit in notis ad Can. 81. Trullanum,

ubi, postquam retulerat a Felice III. et Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli div. Trinitati a sanctis semper Angelis adcantatum Ecclesiae ab ipso Deo ac ejusdem sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum regiae urbi impendentium depulsione confirmatum ac in eodem sensu et ratione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi constanter asseverant* (loquitur de Episcopis tum in praedicto Concilio congregatis tum de aliis additamentum Trisagio factum respuentibus) *humana praesumptione non potuisse ad solum Christum delorqueri.* S. Gregorius VII. eodem religionis studio ipsam additionem improbavit in sua epistola prima lib. 8. scripta ad Archiepiscopum sive Patriarcham Armenorum. Idem praestitit Gregorius XIII. in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 14. Febr. anno 1577. In Congregatione autem Propagandae Fidei habita die 30. Jan. anno 1635, cum examini subjecta fuisset Armenorum Lyurgia atque inter caetera accuratiore disquisitione fuisset expensum: utrum additio inducta Trisagio tolerari posset ob indicatam causam, quod illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur, responsum fuit: id non esse permittendum additionemque omnino expungendam. Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad Episcopos Lucaniae cap. 26. pravam consuetudinem jam invectam improbavit, *juxta quam mulieres Sacerdoti Missam celebranti inserviebant, cumque idem abusus ad Graecos transisset, Innocentius IV. in epistola, quam ad Episcopum Tusculanum dedit, eundem severissime proscrispsit: Mulieres autem servire ad altare non audeant sed ab illius ministerio repellantur.* Iisdem verbis a Nobis quoque prohibetur in nostra saepius citata Con-

stitutione: *Etsi pastoralis* §. 6. n. 21. tom. I. *) Bullarii Nostri. Feria quinta majoris hebdomadae ad recolendam Dominicae Coenae memoriam sacra peragitur functio, in qua consecratur panis, qui per integrum annum aservatur, ut illo reficiantur lethali morbo laborantes, qui sacram Synaxim in Viaticum sibi deposcunt et aliquando etiam eidem pani consecrato exigua pars vini consecrati affunditur. Ritus hujusmodi a Leone Allatio describitur in suo Tractatu de Communione Orientalium sub specie unica n. 7. Summus Pontifex Innocentius IV. in laudata epistola ad Episcopum Tusculanum Ritus illum Graecis interdixit hisce verbis: *Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam usque ad annum praetextu infirmorum, ut videlicet de illa ipsos communicent, non reservent*, addiditque, ut paratam semper Eucharistiam haberent pro infirmis, sed illam qualibet decima quinta die renovarent. Arcudius in Tract. de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis lib. 3. cap. 55 et 56. absurditates, quae ex eo Ritu promanabant, indicare haud praetermisit deprecans Romanos Pontifices, ut illum penitus abrogarent. Praestitit id Clemens VIII. in sua Instructione idemque et Nos praestitimus in nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis* 57. §. 6. num. 3. et sequ. In Concilio Zamosciae a duabus Congregationibus, Concilii videlicet ac Propagandae Fidei, examinato, §. 3. de Eucharistia, legitur statutum, ut si alicubi adhuc vigeret Ritus consecrandi Eucharistiam fer. 5. in Coena Domini eam suffundendi aliqua gutta Sanguinis servandique pro Infirmitas in annum integrum, in posterum omnino praetermittatur, sed parochi Eucharistiam pro Infirmitas

*) Cf. *Mulier* (ministrans etc.)

servent, ipsam qualibet octava aut decima quinta die renovantes. Eadem viam institerunt Patres Concilii Libanensis a Nobis confirmati, sicuti patet ex cap. 12. de Sacramento Eucharistiae n. 24. Quibus sane exemplis manifesto comprobatur, quod Sedes apost. nunquam omiserit Graecis interdicare Ritus aliquos, licet apud eos jampridem obtinerent, quoties eosdem perniciosos et malos esse aut evadere posse deprehendit.

§. 29. De processione Spiritus S. a Patre ac Filio, quemadmodum superius indicavimus, praecipue disputatum est, quoties de unione Graecae et Orientalis Ecclesiae cum Latina et Occidentali actum fuit. Hujus articuli examen trinam veluti faciem praesentulit atque adeo ad haec tria capita redactum est. Primum: an processio Spiritus Sancti a Patre et Filio esset Fidei dogma, et quoad primum hoc caput firmissime responsum semper fuit: non esse ullo modo dubitandum, quin processio Spiritus S. a Patre et Filio inter Fidei dogmata adnumeretur; neque Catholicum revera esse, qui illud non recipit ac profitetur. Alterum: an, posito hoc esse unum ex Fidei dogmatibus, licuerit in Symbolo Missae superaddere verbum *Filioque*, quamvis neque in Nicaena neque in Constantinopolitana Synodo illud reperiretur, cum potissimum ab Oecumenica Synodo Ephesina decretum fuerit, ne quid Nicaeno Symbolo adderetur: *Statuit Sancta Synodus, alteram Fidem nemini licere proferre aut conscribere aut componere praeter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt*. Quod autem ad alterum hoc caput attinet, firmatum fuit, non modo licuisse sed et valde conveniens fuisse, ut hujusmodi additio fieret Nicaeno Symbolo, eo quod Ephesinum Concilium solummodo inhibuerit ad-

ditiones Fidei oppositas aut temerarias aut a communi consuetudine devias, non vero orthodoxas, et quibus aliquis Fidei articulus in eodem Symbolo implicite contentus explicatius declararetur. Tertium denique: utrum posita pro indubio Fidei dogmate processione Spiritus S. a Patre et Filio agnitaque insuper in Ecclesia potestate addendi Symbolo vocem *Filioque*, permitti posset, ut Orientales et Graeci in Sacrificio Missae Symbolum recitarent ad eum modum, quo prius et ante schisma consueverant, quod perinde est ac dicere praetermissa voce *Filioque*. Quod autem pertinet ad postremum hoc caput, non eadem semper fuit Sedis apost. disciplina; quandoque enim Orientalibus et Graecis Symbolum absque voce *Filioque* recitare permisit, tunc nimirum, cum certo constiterat, priora duo capita seu articulos ab illis recipi noveratque omnino fore, ut, si iisdem denegaretur id quod tanto studio deposcebant, exoptatae unioni aditus intercluderetur. Nonnunquam vero Symbolum cum additione *Filioque* ab Orientalibus et Graecis recitari omnino voluit, cum scilicet merito suspicari potuit, eosdem ideo nolle Symbolum cum additamento recitare, quod adhaerent errori opinantium ac asserentium Spiritum S. a Patre et Filio non procedere vel ab Ecclesia additionem illam *Filioque* Symbolo fieri non potuisse. Duo Summi Pontifices, nempe b. Gregorius X. in Lugdunensi Concilio et Eugenius IV. in Florentino, primam agendi rationem ob indicatas causas cum Graecis adhibuerunt, ut constat ex tom. 7. *Collectionis Conciliorum Harduini* p. 698. D. et tom. 9. *ejusdem Collectionis* p. 395. D. Alteram vero rationem ex causis itidem supra allatis amplexus est servavitque Summus Pontifex Nicolaus III., cum deprehendit Michaelem Imperatorem ex

bona fide non agere neque iis stare, quae pollicitus fuerat in tractanda unione, quam cum Pontifice Gregorio X. Praedecessore suo absolverat atque firmaverat. Hujus rei documentum e Vaticano Archivo desumptum in *Raynaldi Annalibus impressum est ad annum Christi 1278* §. 7. Eadem viam institerunt Martinus IV. et Nicolaus IV. Et quamvis de Pontificibus istis, quod ad hanc rem pertinet, Scriptores diversa tradiderint, Pachymeres tamen, qui tunc temporis Constantinopolitanam historiam posteriorum memoriae commendabat, lib. 6. cap. 14. aperte testatur, eos Praedecessorum suorum epicheiam non fuisse secutos, sed voluisse, ut ab Orientalibus et Graecis Symbolum cum additione *Filioque* recitaretur, ut injecta sibi de Orthodoxa illorum Fide dubitatio tolleretur, ad certum experimentum capiendum Fidei et Sententiae Graecorum; *ejus vero pignus idoneum fore, si et ipsi Symbolum sicut Latini pronunciarent*. Idem Pontifex Eugenius, qui in Florentino Concilio Orientalibus concesserat, ut sine ea voce *Filioque* Symbolum recitarent, cum deinde Armenos in unitatem sanctae Ecclesiae reciperet, eisdem praecepit, ut Symbolo praedicta additione adaucto uterentur, uti videre est in *Collectione Conciliorum Harduini* tom. 9. pag. 435. B., eo quod fortasse Armenos non aequae ac Graecos ejusmodi additamento repugnantes deprehenderat. Callistus itidem III. Romanus Pontifex, cum Fratrem Simonem ex ordine Praedicatorum munere Inquisitoris decoratum in Cretam ablegaret, quam in insulam se receperant plures Graeci aufugientes ab urbe Constantinopolitana, cujus ante-biennium Turcae potiti fuerant, jussit ipsum vigilem adhibere curam, ut iidem Graeci Symbolum cum additione *Filioque* recitarent, sicuti narrat Gre-

gorius Trapezuntius in sua epistola ad Cretens. tom. I. Graeciae Orthodoxae, apud Allatum p. 537., quod confirmatur etiam ab Echard. tom. I. Scriptorum Ordinis s. Benedicti p. 762.; fortasse enim Pontifex suspicabatur, ne praedicti Graeci, quippe qui ex urbe Constantinopoli advenerant, in eo Fidei dogmate minus firmi essent. In duabus formulis professionis Fidei, quas jam superius commemoravimus, quarum alteram Gregorius XIII. Graecis, alteram Urbanus VIII. Orientalibus praescripsit*), nihil aliud continetur, quam quod in Florentino Concilio fuit constitutum. In duabus Constitutionibus, altera videlicet Clementis VIII., quae est 34. veteris Romani Bullarii tom. III. §. 6., nostra altera incipiente: *Etsi Pastoralis §. I. Bullarii nostri tom. I.*, utraque edita pro Latinis Episcopis, in quorum dioecesibus versantur Graeci aut Albanenses Graecum Ritus servantes, dummodo hi Spiritum S. a Patre et Filio procedere fateantur et agnoscant Ecclesiae fuisse potestatem addendi Symbolo vocem *Filioque*, minime jubentur Symbolum cum hac additione recitare, nisi forte ea praetermissa scandalum immineret, aut certo aliquo in loco peculiaris consuetudo jam invalisset recitandi Symbolum cum additione *Filioque*, aut deinde necessarium putaretur, ut Symbolum ab illis cum praedicta additione recitaretur ad eliciendam indubiam rectae ipsorum Fidei probationem. Recte autem non modo Patres Concilii Zambsciae tit. 1. de Fide Catholica sed etiam Patres Libanensis Concilii part. 1. eodem tit. num. 12. ad omnem scrupulum submovendum provide statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus subjecti Symbolum, juxta consuetudinem Romanae Ecclesiae cum particula *Filioque* usurpent.

*) Cf. Professio Fidei.

§. 30. Ex his, quae hucusque dicta sunt, plene concluditur Sedem apostolicam hac ipsa in re quandoque ex peculiaribus circumstantiis perspectaque sibi gentis alicujus indole consensisse, ut certus adhiberetur modus, quem tamen ab aliis ob diversas circumstantias diversumque locorum ac populorum genium nullatenus usurpari permisit. Quamobrem, ut oneri suscepto satis faciamus, nihil aliud superest, quam ut ostendamus, aliquando eandem Sedem apostolicam, dum novit gentem aliquam Orientalium et Graecorum in aliquo latino Ritu adhibendo tenaciorem esse, illius usum ei benigne permisisse, praesertim si hujusmodi Ritus usurpandi consuetudo a vetustioribus temporibus inolevit et Episcopi non modo eidem nunquam adversati sunt sed aut tacite aut expressa eandem comprobarunt. Verum, cum hac ipsa de re perspicua exempla jam fuerint superius allata, dum verba fecimus de ea classe Orientalium et Graecorum, qui Ritus suos majori ex parte retinentes atque Latinos aequae ac Orientales Ritus venerantes, aliquem ex nostris Ritibus amplexi sunt, ab inutili idcirco repetitione abstinemus, ea hic revocantes, quae superius in his ipsis literis plene fuerunt exposita. Duo solum exempla ex Maronitis desumpta subnectemus iis, quae jam adduximus. Nonnullis abhinc saeculis Maronitae pontificales ac sacerdotales vestes adhibent ejusdem plane formae, quam latinus Ritus praescribit, quemadmodum in citato saepius Libanensi Concilio habito anno 1736 legitur cap. 12. de Sacramento Eucharistiae num. 7. Summus enim Pontifex Innocentius III. epistola ad Hieremiam Patriarcham anno 1215 data, quae incipit: *Quia divinae sapientiae bonitas*, illos adhortatus est, ut se Latinae Ecclesiae in pontificalibus ornamentis conformarent.

Quam ob causam tum idem Pontifex tum ejus Successores ad illos sacra indumenta, calices ac patenas dono miserunt, uti narrat Petrus Patriarcha in duabus epistolis ad Leonem X. datis relatisque tom. 14. Collectionis Conciliorum Labbeanae p. 346 et seq. Nuper autem in praecitato Libanen. Concilio cap. 13. unanimi consensu nostrae subsequuta approbatione iidem Maronitae quoad Praesanctificationum Missam latin. Ritus amplexi sunt, illam tantummodo feria sexta in Parasceve celebrantes, relicta justis gravibusque de causis disciplina Graecorum, qui diebus quadragesimalis jejunii non nisi Missam Praesanctificationum celebrant, excepto Sabbato, die dominico et festo Annunciationis B. V., si forte in Quadragesimam incidat, juxta praescriptum in Trullano Can. 52. Hisce siquidem diebus Sacerdos panem consecratum in tot particulas dividit, quot dies subsequuntur, quibus Missa Praesanctificationum celebratur, quibus nimirum vescitur pane eucharistico, quem antea consecravit, asservans in ciborio reliquas consecratas particulas, ut sequentibus diebus, quibus Missam Praesanctificationum celebrabit, iisdem vescatur, atque aliis etiam, qui adstant petuntque, distribuat, uti fuse commemorat Leo Allatus in Prolegomen. ad Gabrielem Naudaeum de Missa Praesanctificationum pag. 1531. num. 1.

§. 31. Huic nostrae epistolae finis hic imponendus alicui forte videri poterit, cum in ea et allatum jam fuerit responsum redditum quaesitis a Sacerdote Missionario Balserae praepositis, nimirum: *Nihil esse innovandum*, et indicatae itidem fuerint firmissimae regulae, quas sequantur Missionarii, qui Orientales a schismate et erroribus ad unitatem sanctamque catholicam Fidem revocare satagunt; neque enim ex jure Canonum et apostolicarum Constitutionum se gerit, qui in con-

vertendis Orientalibus Ritus quoque Orientalem et Graecum in iis, quae ab apostolica Sede tolerantur atque admittuntur, de medio auferre contendit aut id agit, ut, qui convertuntur, Ritus, quem hactenus servaverunt, dimittant et Latinum amplectantur. Nihilominus, antequam finis huic epistolae imponatur, nimis congruit, ut nonnulla insuper attingantur, quae propius pertinent ad quaestiones a praedicto Missionario propositas, quibus jam responsum fuit: *nihil esse innovandum*.

§. 32. Porro, si in urbe Balserae degunt Catholici Ritus Orientalis Armeni aut Syriaci ipsique peculiari Ecclesia carentes ad Missionariorum Latinorum Ecclesiam conveniunt, ubi Sacerdotes Orientalis Ritus rem divinam reliquasque peragunt suis Ritibus caeremonias, Laici autem Missae Sacrificio intersunt et Sacramenta suscipiunt, non magnopere adlaborandum est, ut defendatur, nihil esse innovandum, uti rescriptum fuit; quodque antea obtinuit, id ipsum et in posterum servari oportere, permittendo videlicet praedictis Sacerdotibus et Laicis, ut in latina Ecclesia ea facere pergant, quae ad hanc usque diem peregerunt. Nam jure canonico illud quidem statutum habetur, Ritus Orientalem et Graecum cum Latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra Decretali Coelestini III. apud Gonzales cap.: *Cum secundum; de temporibus Ordinationum*; atque in Decretali Innocenti III. cap.: *Quanto, de consuetudine*, cap.: *Quoniam, de Officio Judic. Ordinar.* et in Decretali Honorii III. cap.: *Liternas, de celebrat. Missar.*; at nullo jure affirmari potest, Ritus commixtionem apostolica aliqua Constitutione vetitam induci ex eo tantum, quod Armenus, Maronita aut Graecus juxta Ritus suum in latina Ecclesia vel Missae Sacrificio vel alias caeremonias cum